



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Tractatus Practicus De Casibus Summo Pontifici, Episcopis, Et Praelatis Religionum Reservatis

Kiene, Johann Georg

Constantiae, 1629

3. Absolutio à Censuris, aut peccatis primariò competit ipsis  
reservantibus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42214**



*simplice sacerdote adprobato ab-  
solui, siue qui tantum venialia,  
vel mortalia iam confessa, siue qui  
facultatem, v. g. nobiles, eligendi  
Confessarium habeant: quo casu se  
audiat huiusmodi Confessiones  
contra Superioris voluntatem, va-  
lidè quidem, sed non licitè absoluet.  
Nau. Man. c. 4. n. 6.*

III. Absoluere à casibus, &  
excommunicationibus reseruatis  
vniuersim possunt, qui casus re-  
seruarunt, ac censuras tulerunt,  
Sum. Pontifex, Episcopus, Con-  
cilium Generale, Capitulum &  
Congregatio Cardinalium Sede  
vacante, Prælati Exempti Re-  
gularis, quasi Episcopalem iuris-  
dictionem habens, singulique re-  
spectu suorum subditorum, auto-  
ritate ordinaria, tam in foro exter-  
no, quàm interno. Per commis-  
sionem autem in foro externo ab-  
soluere queunt, Legati, Nuntii, &  
Com-

Com-



Commissarii Apostolici, aliique quibus id peculiariter ab habentibus ordinariam potestatem committitur. Communis, quia eiusdem est autoritatis impedimentum humanâ lege & sententiâ ponere & tollere. *Henriq. l. 3. de pœnit. c. 13. Suar. t. 5. de Censuris. d. 7. num 10.* in foro externo hoc non possunt Parochi & Regulares Confessarii ex ordinaria potestate, tales utpotè inferiores eatenus habent iurisdictionem & potestatem ad absolendum, quatenus ea à Superioribus Prælati, ac primariò à Summ. Pontifice totius Ecclesiæ Pastore conceditur, proinde ubi potestas ab iisdem vel non conceditur, sed per reservationem casuum limitatur, vel ad certum modum, v. g. dependenter à Confessione peccatorum Sacramentali restringitur, inferiores Pastores potestatem & iuris



iurisdictionem aliam non habent  
absoluendi, adeòque si excedant,  
nec licitè, nec validè absoluunt,  
sicuti nec ab excommunicatione,  
quâ nominatim in specie quispi-  
am excommunicatur, aut tan-  
quam excommunicatus denun-  
tiatur, ordinariè nemo potest ab-  
soluere, nisi qui eam tulit, aut  
eius Superior, successor, vel  
quibus id specialiter committi-  
tur, vti communiter docetur in  
*Cap. Nuper. de sentent. excomm.* quod  
valdè conducatur ad disciplinam  
Ecclesiasticam asseruandam, nè  
alioqui Superiorum sententiæ  
facile contemnantur. Hinc pu-  
tat *Tann. d. 6. q. 10. dub. 6* priui-  
legiatos non posse absoluere  
ab Episcopo nominatim excom-  
municatum & denuntiatum,  
nisi detur eis specialis com-  
missio.

**IV. In foro interno cuiq; Paro-  
cho**